



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XL. Exempla acierum varia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

spargere. Senos autem pedes à tergo inter singulas acies in latum diximus interpatere debere; & ipsi bellatores stantes singulos obtinent pedes. Ideoq; si sex acies ordinaveris, quadraginta duos pedes in latum, & mille passus in longum decem millium hominum tenebit exercitus. (Si autem in ternos ordinare volueris 21. pedes in latum, & duo milli passuum in longum, 10000. tenebit exercitus.) Ad hanc rationem siue 20000. siue 30000. peditum fuerint iuxta mensuram posidisti, sine aliqua dubitatione difficultatis poterunt ordinari, nec Dux fallitur cum sciat, qui locus quantos capere possit armatos. Deniq; si angustior locus sit, vel multitudo sufficiat, inde etiam novem, vel amplius acies ordinari (conuenit) Magis enim expedit, ut conferti pugnent, quam longius separati. Nam si nimium fuerit acies attenuata, citò ab aduersariis facta impressione pertumescit, & nullum postea potest esse remedium. Qui autem numeri in dextro cornu, qui in sinistro, qui in medio debeant ordinari, vel iuxta dignitates eorum, seruatur ex more, vel certe pro qualitate hostium commutatur.

Aciei forma
pro nationi-
bus di-
uersa.

§. 3. Forma aciei, nunc ex opportunitate locorum statuitur, & procul hostis suam instituit; habetur etiam ratio nationum, quarum alia ad alias formas magis affecta sunt, ideoq; si ea fiat, pugnant peritius & fidentius. Cum lata frons est, volunt tertiâ parte superare profunditatem, cum acies est profundior, quam latior, eandem proportionem requirunt, quod tamen ita intelligi, ut variari debeat, si hostium acies requirat, aut sitis locorum. Lateralis verò incingunt alâ bombardariorum. Leuis armaturâ equitatus turmatim pugnat, ordines magis seruant cataphracti. Aciei corpori humano comparat Mendoza, bombardarios similes ait manibus, & pedibus, equitatum leuem cruribus, & brachijs, cataphractos coxendicibus, legiones peditum pectori, ducem capiti, impedimenta ventri. Qui hostem aggreditur, dextram manum profert, si luctandum omnibus simul viribus nititur. Cum lancearii, & equites bombardarii sunt, hi acies obtinent, & paulo citius pugnam inceptant, quam lancearii, turbatos illi dejiciunt. Hæc etiam in paucorum conflictibus vsurpant. Lancearios incommode jungi nonnulli putant, quod nihil minus contingere queant; Sed juncti equitibus longas bombardas gerentes, & peditibus, quos vocant, molestarijs viles sunt. Itaq; nullo modo negligendi sunt.

CAPVT XL.

Exempla acierum varia.

Varia acies
pro oppor-
tunitate.

§. 1. CRASSVS contra Parthos quadratam fecit, ut singula latera duodecim cohortes tenerent, & ad quamque cohortem turma equitum. Verum id trepide, & stupenti similis; Nam diuiso equitatu omnes partes infirmas reddidit, cum Parthi equitatu præuulerent.

§. 2. Triballi apud Stob. sermon. 52. aliter disponunt. Prima pars infirmos habet, qui lacescant ad pugnam. Altera fortissimos; Tertia Equites; Quarta feminas.

Artificiofa Xantippi acies fuit; auxiliariis enim leuis armaturâ præcepit, ut hostem lacescerent ac cederent, quem deinde fortissimi exciperent, dum inter hos fit prælium, à cornibus iterum illi erumpere.

Cyrus consilio Cræsi in regnum Tomiris processit, aliâs regnum perditurus. Herod. libr. 1. ibiq; no- uam aciem instituit, qua & vicit.

§. 3. Quibus currus, & elephanti; in prima acie eos collocant. Nam hostium ordines facillime turbant; & si in media acie sunt; id quod obuium est, poterunt.

§. 4. Acies Vngarorum contra Turcas à Toroneo instituta, equites, & pedites permistos habuit, ne posset circumueniri; ordines enim sic dilatauit, ut magnæ multitudini par esset.

Nunc probant aliam rationem, quæ vsitata est. Contra lunatam enim Turcæ aciem in tres partes diuidendus exercitus, ut duæ contra cornua pugnent, media acies steter immota, donec jungatur hostibus, & pugnet.

§. 5. Alexander ad Arbela aliam quoque aciem instituit. Front. lib. 2. c. 3. Alexander ad Arbela, cum hostium multitudinem vereretur, virtuti autem suorum fideret, aciem in omnem partem spectantem ordinauit, ut circumueniri, vndeque pugnare possent.

§. 6. Vegetius plura genera proponit lib. 3. c. 20. Septem depugnationum septem sunt genera vel modi, cum infesta ex- nera acie- vtrâq; parte singa configunt. Vna depugnatio est frontelon- rum. ga quadrato exercitu, sicut etiam nunc & propè semper solet prælium fieri: sed hoc genus depugnationis peritii armorum non optimum iudicant, quia cum in prolixo spacio tenditur acies, non equalis semper campus occurrit, & cum in eius parte sinus, aut curuatur a sit, in eo loco acies frequenter interrumpitur. Præterea si multitudine aduersarius antecedit, à lateribus aut dextram, aut sinistram alam circumuenit: in quo periculum magnum est, nisi supernumerarios habeas, qui procurrant, hostemq; sustineant. Hoc genere solus debet configere, qui & plures & fortes habuerit bellatores, ut ex vtroq; cornu hostem circumueniat, & quasi sinum sui concludat exercitus. Secunda depugnatio est obliqua, qua plurimis melior: in qua si paucos strenuos loco idoneo ordinaueris, etiam si multitudine hostium & virtute turberis, tamen poteris reportare victoriam. Huius talis est modus: Cum instructa acies ad congressum veniunt, dunctu sinistram alam tuam à dextrâ aduersarii longius separabis, ne vel misilia ad eam, vel sagittæ perueniant: dextram autem alam tuam sinistrâ alâ illius iunge, & ibi primum inchoa prælium: ita ut cum equitibus optimis, & probatissimis peditibus sinistram partem illius, ad quam te iunxeris, aggrediaris atq; circumueas, & detrudendo atque supercurrendo ad hostium terga peruenias. Quod si semel aduersarios exinde pellere ceperis, ac cedentibus tuis indubitatam victoriam consequeris, & pars exercitus tui, quam ab hoste submoueris, secura durabit. Ad similitudinem autem Aliterâ vel libellæ fabrilis, acies in hoc dimicandi genere constituitur. Quod si prior aduersarius hoc fecerit, illos quos post aciem supernumerarios diximus debere poni, tam equites, quam pedites, ad sinistram tuam colliges cornu, & sic aduersario resistes magnis viribus, ne ardeat. Tertia depugnatio est similis secunda: sed in hac deterior, quod à sinistro cornu tuo cum illius incipis dextro configere. Nam quasi mancus impetus est eorum, & aperti cum difficultate aggrediuntur hostes, qui in sinistro dimicant cornu. Quod apertius (ut sit) explanabo. Si quando alam sinistram longè habueris meliorem, cum ea fortissimos equites, peditesq; coniunge, & in congressu ipsam primam applica ad alam hostium dextram, & quantum potest, aduersarii dextram partem pellere & circumuenire festina. Tu autem aliam exercitus partem, in qua deteriores bellatores habere te nosti, à sinistrâ illius longissimè separa, ne vel gladijs, inuadatur, vel ad eam tela perueniant. In hoc (genere) cauendum est, ne inimicorum cuneis transuersa tua acies elidatur. Hoc autem modo, nullo casu vtiliter pugnabitur, si aduersarius infirmus dextrum cornu habuerit, & tu longè fortius sinistram. Quarta depugnatio talis est: Cum ordinaueris aciem, ante quadringentos, vel quingentos passus, quam ad hostem peruenias, non sperante, eo subito ambas alas tuas incitare te conuenit: ut ex vtroq; cornu improvisos hostes vertas in fugam, & celerius victoriam consequaris. Sed hoc genus certaminis, licet citò superet, si exercitatos fortissimosq; produxerit, tamen periculosum est: quia mediam aciem suam, qui sic dimicant, nudare compellitur, & in duas partes exercitum separatur. Quod si primo impetu victus non fuerit inimicus, habet (postea) occasionem, quâ inuadat & diuisa cornua, & mediam aciem destruat. Quinta depugnatio est quarta similis: sed hoc

Signa
inere
sem.

hoc vnum amplius habet, quod leuem armaturam & sagittarios ante mediam aciem ponit; ut illis residentibus, non possit irrumpi. Nam sic de dextro cornu suo, illius sinistram: & de sinistro cornu suo illius dextrum aggreditur. Quod si fugare potuerit, statim vincit: sin minus, media acies illius non laborat: quia à leui armatura, sagittariisq; defenditur. Sexta depugnatio optima est, prope similis secundae: quâ reuntur, qui de numero suorum, & de virtute desperant. Et si bene ordinauerint, quamvis cum paucioribus, sæpe victoriam consequuntur. Nam cum instructa acies ad hostem accedit, dextram alam tuam sinistra ala hostium iunge, & ibi per equites probatissimos, & velocissimos pedes incipe praelium. Reliquam autem partem exercitus tui, longissime à dextra parte aduersariorum remoue, & in directum porrige, quasi verum. Nam cum partem sinistram illius, & à lateribus, & à tergo coeperis cadere, sine dubio vertes in fugam. Aduersarius autem nec de dextra parte sua, nec de media acie potest suis laborantibus subuenire, quia acies tua extenditur, & totam porrigit ad similitudinem I. litteræ longissimæq; recedit ab hostibus. (Quo genere in itineribus sæpe configuratur.) Septima depugnatio est, quæ loci beneficio adiuvat dimicantem. In hac quoque, & cum paucioribus, & cum minus fortibus poteris aduersarium sustinere, hoc est, si montem, aut mare, aut flumen, aut lacum, aut ciuitatem, aut paludes, aut abrupta in in vna parte habeam, ex quâ hostis non possit accedere, & reliquam exercitum tuum directâ acie ordines. Sed in illa (ala) quâ munitionem non habet, omnes equites & ferentarios ponas. Tum securus pro tuo arbitrio, cum hoste confluges; quia ab vna parte loci natura te munit, ab alia duplex prope ponitur equitatus. Illud tamen obseruandum est, quo nihil melius inuenitur, ut siue solo dextro cornu pugnare volueris, ibi fortissimos ponas: siue sinistro, ibi strenuissimos colloces: siue in medio cuneos facere volueris, per quos acies hostium rumpas, in cuneo exercitatisimos ordines bellatores. Victoria enim per paucos fieri consuevit. Tantum est, ut electi à Duce sapientissimo, in his locis, in quibus ratio & utilitas postulat, ordinentur.

§. 7. Archelai & Sullæ acies à communi valde recedunt. Frontinus libr. 2. cap. 3. Archelaus aduersus L. Syllam, in fronte ad perturbandum hostem fulcatas quadrigas locauit; in secunda acie phalangem Macedonicam; in tertia, Romanorum more, armatos auxiliares, mixtis fugitiua Italica gentis, quorum perniciatî plurimum fidebat, leuem armaturam in ultimo statuit. In vtroq; deinde latere equitatum, cuius amplum numerum habebat; circumuendi hostis causa posuit. Contra hæc Sylla fossas amplæ latitudinis in vtroq; latere duxit, & capitibus earum castella communiuit: quâ ratione, ne circumueniretur ab hoste, & pedum numero, & maxime equitatu superante, consecutus est. Triplicem deinde pedum aciem ordinauit, relictis intervallis, per leuem armaturam, & equitatum, quem in notissimo collocauerat, ut cum res exegisset emitteret eum: tum profugiantis, qui in secunda acie erant, ut densos numerososq; palos firme in terram defigerent; intrag, eos, appropinquantibus quadrigis, ante signa nostram aciem recepit: tum demum sublato vniuersorum clamore velites & leuem armaturam ingerere tela iussit: quibus factis quadrigæ hostium aut implicitæ palis, aut exterrita clamore telisq; in suos conuersæ sunt, turbaueruntq; Macedonum instructionem: quæ cedente cum Sylla staret, & Archelaus equitem opposuisset, Romani equites subito emisit, auerterunt eos, consummaruntq; victoriam.

CAP V T XLI.

Hortatio militaris, & responsa
exercitus.

Signa con-
uincere ho-
stem.
§. 1. EXERCITVS consternatus, vel pudore, vel metu ad pugnandum impellitur. Pudore; ut cum Imperator signum in hostem conicit; Quod Seruius Tullius adolefcens sub Tarquinio fecit, imitati sunt Furius Agrippa, T. Quintius Capitolinus, M. Furius Camillus, Saluius Pelignus. Vel cum Im-

perator in aciem primam præuolat, sic Lucius, cum legiones Mithridatico exercitui cederent, stricto gladio in primam aciem emicuit, & dixit militibus, si quis quæreret, vbi Imperatorem reliquissent? responderent: In Bæotia. Julius etiam ad Mündam in primam aciem pedes profiliit, atque ita milites dum deserere eum erubescunt, vicere.

Metu fugientes tenuit Q. Furius minatus neminem se castris recepturum nisi victorem. Scipio ad Numantiam, fugientes sibi pro hoste futuros. Idem M. Atilius, & Philippus Macedo fecerunt. Priscus dictator, & Cossus Cornelius signiferum cunctantem interfecerunt.

§. 2. Efficax est breuis in periculo adhortatio. Iphicrates victoriam promissit, si vbi signum dedisset, vnum gradum processissent, idq; dedit cum res in inclinatione esset, & vicit. Epaminondas quoque eodem exhortationis genere vsus est. Alexander suos videns inclinare; adhuc semel, viri Macedones, adhuc semel accedamus; atque ita hostem impulerunt. Cum itaque inclinatur acies, retine cedentes, si redeant, vicerunt. Cæsar sanè

ipse manu subicit gladios ac tela ministrat

Promouet ipse acies impellit terga suorum

Verbere conuersæ cessantes excitat hasta.

§. 3. Plus est in timore exercitus periculi, quâ quidem in re agendum est, ut insigni aliqua fiducia excitetur, quod ferè aliter fieri non potest, quam ut occultum subsidium, & stratagema esse arbitrentur. Fuluius nobilior contra Samnitas victores pugnaturus suis animum addidit, cum diceret; vnam hostium legionem à sepècunia corruptam ad prodicionem, imperauitque Tribunis, Centurionibus, & primis ordinibus, ut quod aut argentique haberent, conferrent ad representandam proditoribus mercedem: Hinc alacritas & victoria. Hortari itaque non modo aperte, quod interdum est diffidentis, sed per cuniculos oportet, ut animus crescat. Lucullus edito ex loco viso Tigranis exercitui; Vicinus milites, vicinus, inquit. Cataphractorum crura & femora gladijs figebat, hastas gladijs concidebant.

Fiducia
militis vi-
ctoria est.

§. 4. Vtile est emulationem excitare: Cæsar contra Ariouistum se cum decimâ legione pugnaturum ad victoriam. Illa gratias de iudicio agit, cæteri pudore accensi sunt ad praelium.

Emulatio
ad victo-
riam.

§. 5. M. Fabius & Cn. Manlius militem deterrantem praelium propter seditiones cunctatione accenderunt, cum hostium contumelias ferre non possent. L. Sulla operibus milites fatigauit, donec poscerent praelium, pro exhortatione itaque labor fuit. Agesilaus Lacedæmonius cum preciosissima milites Orchomeni deposuissent, oppidanis præcepit, ne quicquam reciperent, ut exercitus ardentius pro rebus suis depugnaret, hic auaritia in praelium adegit. Terror hosti vna voce interdum incutitur, animusque excutitur. Leotyichidas cum dubij essent Jones sparsit famam, Persas ad Plataeas esse victos, quo patet eos animauit.

Vna sæpè
vox hostem
terret.

Pan Bacchi Dux cum canum montem in vicino esse intellexisset, noctu clamorem tolli iussit, qui percussu duplicatus hosti terrorem incussit. Aristomenes cum videt mistas triremes, & aciem ancipitem iussit suos milites clamare: sinite fugere. Hostes verè putantes suos fugere, fugerunt & ipsi.

§. 6. Vltatum olim fuit, ut hostium superbia, iniquitateque exposta ad praelium hortarentur; ita Fabius cum legati Carthagine condiciones iniquissimas ferrent, indignationis exercitum impleuit. Epaminondas pronunciauit Lacedæmonijs constitutum; si vicissent, omnes virilis sexus occidere, vxores & liberos in seruitutem adducere, Thebas delere, tantum gerat at dorignantium, ut primo impetu aduersarios fugarent.

Nimium